



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 5. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

re solum superficiem, sed tantum superficies, domo, vel vinea destructa finitur jus, neque poteris ibidem iterum edificare, nisi denuo contrahas: finito contractu domus, vel vinea talis solo affixe pertinent ad Dominum soli, non ad superficiarium, cui tamen debent solvi illa melioramenta. Durante autem contractu potest superficiarius locare alteri domum, vel vineam inconsulto Domino proprio soli, si absque pensione solvenda fuisset concessa superficies; si vero cum pensione, requiritur consensus proprietarii, quia tunc superficiarius censetur verus emphyteuta. Servitus, prout in presenti usurpatur, est jus, quo aliquis adstringit sibi, suisque rebus servire rem alienam. Unde non dicitur servitus usufructus, quem Dominus percipit ex sua re, aut mancipio suo; nam res propriae non dicuntur Domino proprietario obligari, quamvis illis utatur; obligatio enim rerum adheret personae, nemo autem sibi ipsi obligatur, aut servit. Itaque servitus habet sub se rationem usufructus, emphyteusis, feudi, habitationis, & superficiem; nam omnia ista jura faciunt usufructuario, uluario, emphyteuta, feudatario, & habitatori, atque superficiario servire rem alienam.

21. Possessio, ut notat Lugus, generatim sumpta, non est proprie jus, quamvis, si vera est, dicat juris adminiculum, & solet definiti jus insistenti rei non prohibita possideri. De illa agit late, & doctè Molina disp. 12. & 17. advertens, furem verè possidere, absque jure tamen insistenti rei, & vocatur possessio facti, ipsa scilicet occupatio, seu habitatio rei, quae saepe est absque possessione juris, sive absque jure possidendi, ut de usu diximus num. 212. Dicitur *possessio*, quasi pedum positio, aut cum potestate lesio; hinc communiter definitur à Jurispracticis tentio rei corporalis corpore, & animo, jurisque adminiculò. Dicitur *tentio*, aut *detentio*, scilicet vera, vel ficta. Vera, quando res possessa manibus, vel pedibus contrectatur, ut saepe fit. Ficta, seu aequivalens, quando in multis eventibus corporaliter nulla realis apprehensio intercedit, sed solum ex interventu alicujus actus, qui ex legum dispositione reali apprehensioni aequivaler, res dicitur possideri.

22. Dicitur *rei corporalis*, quia incorporea à Jurispracticis non dicuntur possideri, sed quasi possideri, quamvis apud Theologos, ut notat Lessius lib. 3. cap. 3. dubitat. 9. ad incorporea extendatur; unde Theologicè loquendò aufertur à definitione particula *corporalis*. Absolutè quidem dicimus, possideri beneficium, & alia hujusmodi. Dicitur *corpore*, & *animo*, quia ad possessionem non sufficit tentio corporalis, quam habet bajulus, seu depositarius rei alienae; neque sufficit animus possidendi, quem scilicet habet quis circa thesaurum, vel feram, quam nunquam habuit, sed requiritur utrumque vel per se, vel per alium, ut contingit in pupille per Tutorem. Additur tamen *juris adminiculò*, non quòd omnis possessio facti debe-

at esse justa; nam fur verè possidet rem furtivam, sed quia jura non impediunt, ne talis tentio censetur sufficiens ad constituendam possessionem; sicut impedirent, ne detentio rei Sacrae, aut bonorum Ecclesiasticorum facta à Laico, quamvis continuata constitueret juris possessionem. Vide num. 252.

Fit 2. Legem constitutivam juris proprietatis illam esse, quae se ipsa vult alicui dare liberam facultatem disponendi de re tanquam sua, ita ut possit moraliter restringere in bonum suae libertatis per voluntatem suam libertatem aliorum, ut supra diximus; unde jus confert eo modo, quo vult illud conferre. Quapropter si nolit conferre jus, nisi praesupposito aliquo puro termino, non erit constitutiva juris, quando terminus ille non praesupponitur; quando verò terminus ille praesupponitur, jus quidem habebitur non à puro termino, sed à lege, quae sic, & non aliter se ipsa vult jus conferre. Exemplum perspicuum est, ut saepe diximus, in eo, qui efficaciter vult dare eleemosinam, quando sonuerit horologium; ille siquidem vult se ipso obligare per suam voluntatem, non verò per pullum horologii, quem respicit ut purum terminum, cum pullus horologii non habeat vim ullam ad obligandum, proindeque homo ille tunc, quando sonuerit horologium, manebit obligatus per suam voluntatem, quia tunc jam ponitur purus terminus, quo posito ille per suam voluntatem vult se efficaciter obligare.

Idcirco cum plures leges conferant jus independentem ab acceptione alterius, aliae verò conferant solum, quando alter occupat, ut diximus à num. 215. & fusius infra à num. 250. exinde aliquae leges praefigunt sibi purum terminum, ut se ipsis jus conferant, quem aliae leges sibi non praefigunt. Vide, quae de puris terminis diximus num. 908. de Sacramentis, & à n. 96. de gratia. Si autem lex, ut Thomistae contendunt, non ster in actu voluntatis, sed intellectus, cum actus ille intellectus habeat similitudinem in ordine ad vim legis, quam haberet actus voluntatis; exinde si ad illam tendentiam actus voluntatis praefigeret sibi purum terminum, etiam actus intellectus sibi praefigeret purum terminum, proinde tota diversitas inter legem consistentem in actu voluntatis, & consistentem in actu intellectus desumitur ex eo, quòd altera sit lex expressiva, altera verò affectiva, utraque tamen, ut sit vera lex, respiciet idem objectum, praefixosque sibi habet eosdem puros terminos; ceterum haec omnia clariùs constabunt ex solutione argumentorum.

SECTIO V.

Solvuntur Opposita.

Objicies 1. Lex illa, à qua provenire possit dominium, saepe antecedit, & quidem ab aeterno, si est Divina, cum sit actus Divinae voluntatis.

voluntatis: atqui jus, five dominium humanum est temporale: ergo jus humanum nequit provenire à lege tanquam à forma. Resp. dist. maj. est antecedens, five aeterna physice in existendo ad intra, conc. moraliter in denominanda ad extrinseca, subdist. in denominando ab aeterno pro tota aeternitate, neg. in denominando pro tempore, pro quo alicui confert dominium, conc. maj. & omitto min. de dominio humano concretè, & denominativè sumpto, neg. conseq. Ratio est, quia lex Divina aeterna non vult ab aeterno dare Petro jus, quòd ab aeterno habeat, sed ab aeterno vult dare illi jus hoc tempore, & non antea, quod non est speciale in lege Divina conferente jus, sed est commune omnibus Divinis legibus, quibus homines obligantur. Siquidem non obligamur ab aeterno, sed obligamur per legem Divinam ab aeterno existentem, ut agamus in tempore. Quapropter illud tempus est purus terminus, quam lex Divina sibi praefigit, five reponatur in actu Divinae voluntatis, five Divini intellectus, ut diximus num. superiori; est enim lex, qua confert Deus mihi jus in hoc instanti, & non antea, quia ex suo modo tendendi mihi dat eam legitimam potestatem in tali re nunc, & non antea. Unde quamvis ab aeterno existat, non dat jus ab aeterno, sed in tempore.

226. Objicies 2. Jus, five dominium inter homines oritur ex contractu, aliòve simili titulo, quo dicitur acquiri dominium: atqui lex non oritur ex contractu, aliòve simili titulo: ergo jus, five dominium nequit consistere in praedicta lege. Resp. neg. maj. quia jus oritur à lege, five quasi lege non quidem physice, sed moraliter, quantumvis saepe non ordinatur ab illa, nisi quando ponitur contractus, eò quòd illa lex conferens jus, velit conferre jus, quando fit contractus, & non aliter: sic ut supra diximus, quando Dominus praecipit servo, ut conferat eleemosinam, cum insonuerit horologium; praecceptum Domini, à quo servus movetur, & à quo provenit obligatio ejus, non stat in pulsu horologii, sed in voluntate Domini, quae se ipsa voluit obligare servum non quidem pro omni tempore, sed pro tempore, quo insonuerit horologium, ideoque pulsus horologii non est causa moralis obligans servum, five inducens, & pariens ejus obligationem; sed est purus terminus, quem voluntas Domini sibi praefixit ad inducendam obligationem in servo. Pariter cum plures leges constituent, ut isti, & non alii sint legitimi contractus, quibus positus jus unius transferatur ad alterum ex vi legis, leges illae respiciunt contractus, ut puros terminos, simulque ex tendentia sua conferunt jus contrahentibus; quod exinde patet, quòd si aliquae leges irritarent contractus, illòsque redderent nullos, consequenter non conferretur jus, quamvis illi tales contractus ponerentur, & opus esset, ut poneretur legitimus contractus, ut eo posito jus lex conferret, quamobrem tota vis translatae juris stat in lege, ut transferatur jus modo, quo lex decer-

nir, aut perficit, & non aliter; unde lex se ipsa tanquam forma denominans constituit jus.

227. Objicies 3. instandò simul solutionem: saepe contingit, quòd non cogitet de lege, qui vult transferre jus, & reverà transfert; ergo jus non constituitur tanquam à forma denominante per legem. Resp. dist. ant. quòd non cogitet de lege considerata sub conceptu potestatis ad transferendum jus, neg. considerata sub alio conceptu, conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia eo ipso, quòd cogitet de transferendo jure suo, cogitat, quòd ille habeat jus suum in quocunque consistat jus illud tanquam in forma, ac proinde cogitat de illo, per quod jus suum constituitur, in quocunque ea ratio constitutiva consistat, quod Adversarii, quibus cum agimus, velint nolint, fateri tenentur; nam ille, qui vult transferre jus suum in alterum eo modo, quo non cogitat de lege, neque cogitat de ente rationis, aut entitate media, aut de carentia, aliisque similibus titulis, quibus apud Adversarios jus constituitur; ceterum eo ipso, quòd cogitat de jure suo, cogitat de illis formis, ut Adversarii fatentur, quatenus constituunt jus, licet de illis non cogitet sub aliis formalibus expressionibus. Quapropter idem in casu nostro dicere debent; unde eo ipso, quòd jus, ut intendimus, tanquam ex forma constituatur, ex ipsa lege, nemo poterit de jure suo cogitare, quin cogitet de lege considerata sub ratione constitutiva juris.

228. Objicies 4. Lex, quam nos assignamus, habet pro objecto jus, five dominium: ergo supponit, & non constituit tale jus. Probat. ant. illa lex vult, ut homo e. g. capiens, vel emens feram habeat jus in illa: ergo habet pro objecto jus. Resp. dist. ant. habet pro objecto adaequato jus, five dominium; neg. pro objecto inadaequato, conc. ant. & neg. consequentiam. Ad probat. conc. ant. & neg. consequentiam. Ratio est, quia, ut saepe diximus, praefertim à num. 160. de gratia sanctificante, omnis lex habet se ipsum pro objecto inadaequato; unde lex, quae vult concedere, & concedit jus Petro, habet se ipsam pro objecto inadaequato; vult enim Petrum Dominum, seu Petrum cum jure, ideoque Petrus est etiam objectum inadaequatum. Quòd autem actus voluntatis, vel intellectus habeant se ipsos pro objecto inadaequato, nulla est penitus implicantia, quin potius non aliter potest aliquis actus esse lex, nisi se ipsum respiciendò ut objectum inadaequatum, cum non aliter sit lex, nisi quomodo actus vult se ipso obligare. Quapropter si Princeps hodie diceret, volo crastina die concedere legem, qua obligem subditos ad hunc effectum, iste actus hodiernus non esset lex, eo praecise, quòd non velit per se ipsum subditos obligare; unde, ut aliqua sit lex, opus est, ut se ipsa velit obligare; cum autem actus, qui se ipso vult alterum obligare, respiciat se ipsum, & alterum, exinde habet se ipsum ut objectum inadaequatum, quod quidem commune est non solum legi conferenti

ferenti jus, sed omnibus legibus, omnibusque extrinsecis conditionibus, cum sint actus se ipsis volentes aut obligationem ponere, aut remittere debitum per se ipsos; unde id ipsum commune est etiam omnibus votis; siquidem ille, qui vovet, vult obligare se ipsum per votum; vide ab eo num. 160. de grat. sanctific.

119. Quin potius iste arguendi modus omnino quidem est inutilis in actibus virtutis, in quibus saepe sapientius distingui debet id, quod formaliter faciunt, & id, quod formaliter volunt; sunt enim multi effectus formales, quos praestant actus intentionales ex modo suo volendi, aut nolendi objectum, qui tamen effectus non sunt termini objectivi talium actuum; sic actus contritionis perfectae amans Deum, & detestans peccatum, facit formaliter hominem ultimò dispositum ad justificationem, quin tamen eam habeat pro objecto. Cognitio affirmans Petrum iustum, reddit me formaliter iudicantem, quin tamen habeat hoc pro objecto; unde aliud est, quod actus isti vitales faciunt, & aliud est id, quod pro objecto habent. Quare si nihil aliud obstat, posset etiam lex illa, seu voluntas Dei ex modo illo tendendi in suum objectum, scilicet in usus rerum, velle illos positò certò titulò tanquam purò terminò, videlicet captivonnis, vel venditionis, aut alio simili facere, ut usus illi liceant, vel non liceant aliis, atque ita faciant hominem istum habentem jus contra alios, quin ex parte rerum habeat pro objecto ipsum jus formale. Dico ex parte rerum; nam ex parte formae non potest lex non recipere se ipsam ob rationem assignatam num. superiori. Adversarii autem juxta ipsorum doctrinam non aliud intendere videntur in praesenti, nisi quòd lex supponat ex parte rerum id, quod constituitur, quòd falsum esse constat ex doctrina à nobis tradita.

120. Obijcies 5. Ex nostris principiis fieret, constitui formaliter jus per dictamen rationis, prout intendebat quarta sententia num. 207. sed per illud dictamen rationis non constituitur: ergo neque constituitur per legem, quam nos assignamus. Resp. neg. maj. si ea sententia persistat in doctrina, quam tradit, & relinquendò ipsius principia non transeat ad nostra; nam si juxta doctrinam, quam tradit ea sententia, sermo sit de dictamine rationis Divinae comparato ad legem Divinam positivam, ratio discriminis inter doctrinam illam, & nostram est clara; tum quia in Deo cognitiones contingentes supponunt exercitium liberum Divinae voluntatis; prius enim est, Deum velle producere mundum, quàm scire, eum esse producendum, aut productum; & similiter prius est, Deum legem suae voluntatis statuere certos rerum usus licere tanquam suos proprios uni homini praeter alios, quàm judicare usus illos esse illi praeter alios licitos.

121. Jus enim, sive dominium satis intelligitur constitutum per illam voluntatem, quae prior est, ac proinde antecedenter ad dictamen istud

R. P. Gorman. Theolog. Tom. II.

rationis jam est jus constitutum contra id, quod intendebat quarta illa sententia; tum quia honestas moralis potius spectat ad lineam voluntatis, quàm intellectus; cum autem potestas constitutiva juris sit potestas moralis, hoc est licitè, & honestè utendi rebus, si à lege non prohibeantur, & reddendò pro libito injustos aliorum usus circa eas res, congruentius videtur, si fieri possit, eam reducere ad legem voluntatis, quàm ad dictamen rationis; si verò dictamen sumatur pro lege sibi praesigente aliquos terminos, sub quibus conferat alicui jus, jam haec sententia ex hac parte transiret ad nostram. Caeterum Authores illius nullam penitus de puris terminis doctrinam asserunt, nec verbum quidem, ideòque juxta eorum sensum adhuc ex hac parte impugnabimus, ut praenotavi eo numero 207.

Obijcies 6. instandò simul solutionem: ea lex attribuens positric aliquibus titulis potestatem disponendi de rebus, aliquando est lex naturalis; nam jure naturae homo titulò physicae conjunctionis habet aliquod jus in sua membra; sed quidquid sit de legibus positivis, saltem lex naturalis nihil est aliud, quàm dictamen rectae rationis, ut ex communi sententia videri potest Apud Arriagam disp. 1. & Amicum disp. 4. de legib. ergo aliquod saltem jus creaturae consistit formaliter in dictamine rationis. Resp. neg. ant. quoad primam partem, quia homo titulò conjunctionis cum suis membris non habet ius proprietatis in illis; imò neque in eorundem potestate, nisi dependenter à libera concessione Dei, quae est beneficium distinctum à beneficio creationis, ut constat à n. 199. & 212. Unde non potest dici absolute ius naturale proprietatis, sed duntaxat ius naturale secundum quid ex dictis n. 120. quòd non impedit, ne ad acquirendum verum ius proprietatis requiratur saltem lex libera Dei; nec refert, quòd posita iam ea lege Divina nobis sufficienter intimata ipsum naturae lumen ostendat nobis obligationem, quia hoc est commune omnibus Divinis praeceptis; siquidem naturae lumen ostendit, teneri nos obedire omnibus praeceptis Dei positivis nobis sufficienter intimatis, quin exinde inferri possit, praecepta positiva non esse positiva, vel potius esse de iure naturae, sed solum infertur, esse positiva, & praevia ad dictamen rationis, quo intimatur nobis obligatio parendi illis. Caetera, quae hic adduci possent, facilius tradentur disp. sequenti. Ex dictis

Fit 1. Quomodo intelligenda sit generalis divisio iuris proprietatis in paternum, conjugale, & herile, sive, quòd idem est, ius inter Patrem, & filium, maritum, & uxorem, Dominum, & servum; non enim intelligi potest ea divisio aliter, nisi attendendò ad legem, vel quasi legem, qua confertur, vel negatur uni ius adversus alterum, & ratione unius considerantur vel tanquam duo, vel tanquam unum, sicut membrum cum physico suo suo supposito. Ratio est, quia cum ius naturae conveniens non


G

habea-

habeatur, nisi à lege, ut constat à num. 209. solum potest admitti ea divisio juris juxta legum institutiones; leges autem aliquando dant jus proprietatis filio adversus Patrem, præsertim circa bona castrensia à filio acquisita; eò quòd in ordine ad ea bona considerentur à legibus Pater & filius tanquam duo physica, & civilia supposita, & non respiciatur filius cum eo solo jure, quod habet suppositum physicum ad suum membrum; aliquando negant jus ad aliqua bona, præsertim ad bona profecticia, & in ordine ad ea consideratur filius cum eo solo jure, quod habet membrum ad suum physicum suppositum. Pariter uxori concedunt leges administrationem aliquorum bonorum, qualia sunt, quæ paraferina vocantur; unde maritus injuriam faceret ea bona subripiendò, sicut etiam faceret injuriam uxorem injustè inhonorandò, aut infamandò, cum retineat etiam jus ad suam famam, & honorem, circa alia ferè omnia bona temporalia constituitur maritus administrator; tum etiam servus habet ex lege jus ad suam famam, & honorem, imò etiam ad aliqua bona temporalia, ut suò locò dicemus. Quare ea auferendò posset Dominus inferre injuriam servo; cum enim homo ille, qui est Dominus, non sit essentialiter, sed accidentaliter Dominus, potest cedere jure domini in ordine ad hæc, & in ordine ad alia bona; quo in casu in ordine ad ea bona servus non considerabitur ut servus, sed ut Dominus, atque ex eadem ratione in ordine ad ea, circa quæ filius habet jus adversus Patrem, & uxor adversus maritum, non considerantur à legibus ut unus, sed ut duo homines, & ut habentes capacitatem acquirendi jus proprietatis adversus alterum.

Fit 2. contra aliquos Recentiores, hanc esse non modò plurium nostrorum, sed etiam Divi Thomæ doctrinam: ratio est, quia illam tradit eisdem quasi verbis, ut apparet 2. 2. quæst. 57. art. 4. ubi ait: ad secundum dicendum, quòd filius, in quantum est filius, est aliquid Patris, & similiter servus, in quantum est servus, est aliquid Domini, uterque tamen, prout consideratur quidam homo, est aliquid secundum se subsistens, ab aliis distinctum, & ideo in quantum uterque est homo, aliquomodo ad eos est justitia; & propter hoc etiam aliquæ leges dantur de his, quæ sunt Patris ad filium, & Domini ad servum; sed in quantum uterque est aliquid alterius, secundum hoc deficit ibi perfecta ratio justitiæ, vel juris; ubi manifestè insinuat, jus inter Patrem, & filium, & Dominum locum habere, eò quòd possint considerari ut duo homines subsistentes, & ab aliis distincti; nempe ita, ut neque unus per essentiam suam pendeat ab altero, neque sit servus alterius, nec à legibus considerentur tanquam si essent unum suppositum physicum; & secundum hunc respectum capaces esse, ut à lege accipiat unus jus proprietatis adversus alterum; ad eum modum, quo in Republica particularis accipit jus adversus communitatem, ut habet statim ad tertium, licet in particulari sit magis ampla ea juris collatio, eò quòd inter illum, & Rempublicam non intercedat vinculum filiationis, aut servitutis in ordine ad illa, quæ ex lege considerantur ad imitationem membri cum suo physico composito.

Verum de his infra agendum est ex professo, cum de subiecto domini.



DISPUTATIO V. DE DOMINIO PROPRIETATIS.

235. **A**d præsentem disputationem attinent ea omnia, quæ doctrinam præcedentis disputationis stabiliunt, illamque clariorem reddunt, ut præmonui num. 232. In quem finem tria maxime notanda sunt. Primum quidem est, quòd sicut hominem esse moraliter impotentem provenit à lege, seu quasi lege se ipsa prohibente, & reddente hominem impotentem, ita hominem esse moraliter potentem provenit à lege, seu quasi lege se ipsa illum reddente moraliter potentem, & conferentem jus proprietatis; ideoque ea lex dicitur forma juris constitutiva, ut patet à num. 209. Difficultas autem apud Theologos nulla est, si lex illa sit conditionata; nam tunc non redditur absoluta, nisi adimpleta conditione, per quam in ratione legis absolute constituitur, ut dixi à num. 208. de Sacramento; unde licet tituli, quos lex conditionata respicit, sint etiam virtus collativa domini, & juris, non id habent, nisi quatenus sunt de legis constitutivo, ac proinde jus, & dominium, quod tunc confertur, non nisi à lege con-

feritur, ut ex terminis patet. Quare tota difficultas stat in lege, quæ supponatur esse absoluta, & quæ nolit conferre jus, nisi quando apponuntur aliqui tituli; tunc enim videtur non posse jus à lege sola provenire; at hæc difficultas satis resoluta est in nostris principiis; nam illi tituli in eo casu sunt puri termini, & puri termini jus non conferunt, ut in præcedenti disputatione satis ostendimus. Secundum est jus proprietatis ligatum à lege, ne Dominus possit validè cedere juri suo, reverà lædi, licet Dominus læsioni consentiat; cum consensus ille in eo casu non sufficiat ad licentiam, neque quoad licitum, neque quoad validum. Tale est dominium pupilli in sua bona, & dominium conjugati in suam consortem, ut dicemus dicentes de subiecto domini; licet ad intelligentiam illius doctrinæ tradenda sint in præsentia nobis generalia principia; unde axioma illud, scienti, & volenti non fit injuria, intelligendum est, quando quis potest, & cedit juri suo. Tertium est, jus proprietatis latius patere, quam domini-